

res reddimur. 19. Explicatur uberius ratio Mediorum. 20. Obiectio contra restorationem generis nostri ex paucitate Bonorum. 21. Alia Obiectio contra generis nostri redemptionem ex multitudine poenarum nostrarum. 22. Tertia Obiectio ex obligatione nostra ad Legem. 23. Oeconomia nostrae Reparationis. 24. Finis Reparationis nostrae. 25. Modus primus deprehendendi, quae sit Religio vera, et in Christiana Religione qui sint veri. 26. Deductio superioris Capitis. Caput I. incipit: Liceat mihi de Religione tractaturo communem omnium hominum prolepsin de Mentis cujuspiam nostra sive bona, sive mala moderantis existentia hic praestruere, *Λεξορ Threskeuta (Religioni addicte) Παντες ανθρωποι περι Θεων εχουσι υποληψιν. Omnes homines de diis habent praesumptionem. Aristot. L. I. de Coelo c. 3. Porro omnium consensus naturae vox est. &c. Non placet adpellatio τῶ Θεοσκαιτω, quam alio etiam loco repetit, ut enim Θεοσκος, Θεοσκαια in Epist. Jacobi c. 1. et alibi generaliter accipiatur, saepe tamen Religionem superstitionem notat. Ad Ecclesiam Rom. Catholicam totam disputationem tandem deduci liquet vel ex his C. ult. verbis: Eos non esse veros Christianos, qui a die, qua dictum est: Supra petram aedificabo ecclesiam meam, opinantur dejectam fuisse et eversum Ecclesiam, — qui civitatem supra montem positam abscondi potuisse affirmant &c. non tamen per-*

duci ad omnia, quae de hac Ecclesia Orthodoxi adfirmamus.

## DCXVI.

Codex partim chartaceus, partim membranaceus Sec. XIV. Folior. 203. manu diversa, corrente, difficili exaratus, rubricis notatus, nec parum situ passus Adversaria quaedam Theologica complectitur, et I. Collirium (Collyrium) presens diuiditur in 6. partes principales quarum prima continet 65. hereses sive errores. Initium ejus est: Primus enim est illorum, qui dicunt, quod ecclesia catholica solum est clericorum et non laycorum. &c. Accedit ubique aut brevis ratio in obpositum, vel autoritas biblica, aut locus *Decreti* sive *LL. Sententiar.* ubi ejusmodi error indicatur et refutatur. Autor est *Alvarus Pelagius* ex *O. M. Episcopus Silvensis* in *Algarbia*, de quo adi *Nic. Antonii Biblioth. Hisp. Vet.* edit. novae T. II. p. 151. Alterum ejus *Collyrium Regum* dabo infra inter *Ascetas*.

II. fol. 10. Excerpta seu *Dicta S. Thome* ex 2<sup>a</sup>. 2<sup>e</sup>. Nempe: *Vtrum obiectum fidei sit veritas prima* &c. Mire turbata sunt in *Codice* haec *Dicta*, eisque implexum *Opusculum de Interdicto*, cujus initium habetur fol. 120. p. 2. praecedente a fol. 116. alphabetico *Indice Dictorum*, quorum clausula fol. 110. *Deo gratias in die petri sancti Novi martiris Anno domini 1390.* Non adeo quidem *Novi*,

1387

## C O D I C E S

1388

*Novi*, quem *Innocentius IV.* jam 1253. Sanctis adscripserat.

III. fol. 132. p. 2. *Aduerte in nomine christi amen, quod subsequencia notata sunt de adam. Adam hic Anglus mihi videtur Magister Parisinus, de quo Bulaeus in Hist. Univ. T. I. p. 149. Tannerus in Bibl. Brit. Hib. et cujus Scripta in Magistrum Sentent. et Quaestiones ordinarias facile primi Academiae Vindob. Conditores Henricus de Hassia et Henr. de Oyta secum e Gallia deferre potuerunt. Ineunt Excerpta nostra prorsus miscella: Studium sacre scripture est meritorium vite eterne &c.*

IV. fol. 164. p. 2. *In nomine christi de summa, aduerte.* Difficile est, inter tot Summas dispicere, quam innuat Noster, qui incipit: *Cause errorum sunt 8. Primus est ignorancia mensurae et capacitatis intellectus humani &c.*

V. fol. 188. *In christi nomine Amen. Sequentia notata sunt D. de Oyta. Henrici nempe Parisius evocati ab Alberto Duce a. 1379. ad docendas apud nos sacras Literas, de quo plura P. I. Scriptt. Univ. Vien. p. 58. Notatorum initium: Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est &c.*

## DCXVII.

U. 451 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas multis quidem compendis, sed luculente et nitide perscriptus, fronte deaurata et pictura-

ta, coloribusque per totum illustratus titulo quidem nullo insignitur, sed ad calcem ita habet: *Explicit istud opus de causa dei contra pelagium et de uirtute causarum (et de) uirtute dei cause causarum perscriptum parisius. anno millesimo. CCC<sup>mo</sup>. XLV<sup>o</sup>. domini ihesu christi.* Habemus itaque Opus, de quo jam Vol. I. P. 2. col. 1387. egimus, *Thomae Bradwardini*, quem in *Bradwardinum, Bragwardinum &c.* corrumperet Librarii, *Cicestriensis Angli*, et quidem Auctore etiam dum vivo descriptum; annum enim ille 1349. supremum censuit creatus tunc *Cantuar. Archiepiscopus.* At vero, quid Libro ejus I. factum sit, ignoro; nam praefens Codex distractus a socio *Librum II.* auspicatur his verbis: *Traetatu siquidem premissorum huc usque continuo progressoque in longius quam putauit &c.* quae exacte usque ad *Libri III.* et ultimi finem cum unica Editione *London.* ab *Henr. Savilio* 1618. f. curata ita conspirant, ut plane eadem Clausula, quam supra adtuli, in *Savillii* Codice fuerit illo solum discriminare, quod pro *Parisiis* et anno 1345. *London* et annus 1344. exhibeatur, adeoque, nisi locorum obesset distantia, noster ex illo descriptus videri possit.

## DCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 452 XIV. Folior. 128. f. per duas columnas exaratus omnes III. Libros praedicti Operis complectebatur,